



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Theologiæ Speculativæ Scholasticis Prælectionibus Et Exercitiis Accommodatæ Libri IV

Haunold, Christoph

Ingolstadii, 1678

Contr. I. Quomodo differant Hæretici, ab alijs Infidelibus.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-82733](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-82733)

etiam non manere. Quia S. Paulus 1. Cor. 13. omnem cognitionem obscuram à statu Beatorum excludere videtur : & cum dixisset, nunc manere Fidem, Spem, & Charitatem, subdit : *Charitas nunquam excidit*, quasi insinuando, Fidem & Spem *Tunc*, hoc est in Patria, saltem quoad actum, desinere. Ratio videtur esse, quia illum statum de decet potentia proxima ad formidandum : atqui actus fidei supponit potentiam proximam formidandi. ergo.

444. R. 2. Neque manet Habitus Fidei quoad Entitatem suam. Ratio est, quia ille habitus esset otiosus, quatenus non posset elicere actus per se intentos.

DICES. Posset servire ille habitus ad eliciendos actus circa ipsam Revelationem Dei, vel circa Veracitatem : sicut Theologi communiter concedunt manere in beatis habitum Pœni-

tentiæ, licet non possit elicere actum proprium pœnitentiæ, & sicut Lugo cum alijs docet, manere in Beatis habitum piæ affectionis, quamvis non possit servire ad imperandum actum fidei.

Sed contra est, quia assensus circa Veracitatem, intenditur præcisè ut Medium, & non propter se : in patria autem non posset habere rationem Medij. Alia ratio videtur esse quoad Habitum Pœnitentiæ & Piæ affectionis, qui videntur adhuc servire ad actus per se intentos, & ut fines ejus Gratiæ : nempe ad eliciendum Gaudium de Deo sibi reconciliato, & de actu Fidei præstito in via. Quod si nolis hos actus sufficere, satius est negare illum habitum manere, cum

Conink, Turriano & Granado, quàm astruere Habitum fidei in Beatis.



CAPVT X.

DE HÆRESI ET HÆRETICIS.

CONTROVERSIA I.

Quomodo differant Hæretici ab alijs Infidelibus.

445. Infidelitatem dividit S. Thomas q. 10. a. 5. in Paganismum, Judaismum, & Hæresin. Cujus divisionis rationem reddit S. D. his verbis. *Cum peccatum Infidelitatis consistat in renitendo Fidei, hoc potest contingere dupliciter : quia aut renititur Fidei nondum susceptæ, & talis Infidelitas est Paganorum sive Gentilium ; aut renititur Fidei Christianæ susceptæ, vel in figura, & sic est infidelitas Judæorum. vel in ipsa manifestatione veritatis, & sic est infidelitas Hæreticorum.*

446. DICES. Qui discederet revelationi privata, esset Infidelis, & tamen nec esset Paganus, nec Judæus, nec Hæreticus, sicut nec ille, qui Revelationi publicæ discederet merè interioris, sine vlla manifestatione Externa : ergo divisio non est bona. R. Divisionem factam esse in ordine ad Judicium humanum, quo fideles ab infidelibus agnoscantur, ad hoc autem nihil facit revelatio privata.

447. Ceterum licet divisio hæc recipiatur communiter à Theologis, non tamen in sensu quem præferunt verba S. Thomæ, qui videtur eam explicasse in ordine ad subjectum, quo sensu eam rejiciunt plures, Lorca, Conink, Palao, Lugo & alij communiter. Itaque si verba præcisè spectentur, imprimis sequeretur, illum fore Hæreticum, qui à fide Christiana deficeret ad Turcam aut Judaismum, quod falsum est. talis enim, etsi ratione Baptismi suscepti posset puniri, verè ta-

men esset Paganus aut Judæus, vocareturque Apostata, non Hæreticus : Sequeretur 2. Paulianistas, qui errarunt circa substantiam Baptismi, non fuisse hæreticos, quia nunquam veram fidem susceperunt, & tamen à SS. PP. vocantur hæretici.

448. Alij ergo aliter distinguunt illa Tria membra dividentia in ordine ad objectum, & dicunt, Paganos esse, qui neutrum Testamentum recipiunt : Judæos, qui Vetus recipiunt, non item Novum : Hæreticos, qui utrumque, sed tamen discedunt quibusdam Articulis.

Sed contra objicitur ab Hurtado, quia Saraceni & Mahometani admittunt Pentatheuchum, nec tamen sunt Judæi. Nec refert, quod non recipiant totum Testamentum Vetus, nam nec Lutherani recipiunt totum Testamentum Novum, & tamen sunt Hæretici : immò Manichæi totum Novum Testamentum rejecisse dicuntur, teste Maldonato, & tamen fuerunt hæretici.

449. Card. de Lugo clariùs distinguit. Judæos ait, appellandos eos, qui legem & ritus Judaicos saltem plerosque aut præcipuos profitentur secundum moralem considerationem, & propterea defacto inveniuntur, quidquid sit de possibili variatione Sectarum, de qua non est curandum : Hæreticos, qui profitentur Religionem Christianam, nec tamen totam ejus fidem tenent, Paganos, qui neutram Religionem.

450. Sine

450. Sine ambiguitate possent ita distinguere: Hæreticos esse illos infideles, qui profitentur Messiam in veteri lege promissum à vero Deo, & à Prophetis prænuntiatum jam venisse, eumque esse Christum *JESUM*, nec tamen credunt omnia quæ credenda sunt. Judæos, qui credunt Messiam venturum, necdum tamen venisse: Paganos verò, qui nec venisse, nec venturum credunt. Relictis nunc Paganis & Judæis, circa Hæresin & Hæreticos aliqua deinceps breviter annotabimus.

CONTROVERSIA II.

In quonam consistat Pertinacia requisita ad Hæresin.

451. **D**efinitur Hæresis, Voluntarius & Pertinax Error, contrarius fidei Catholicae, in homine qui se Christianum profitetur. Itaque ad Hæresin strictè & Canonice sumptam ac punibilem ab Ecclesia, requiri aliquam Pertinaciam colligitur ex cap. Damnamus. de Summa Trinit. circa finem, ubi error Joachimi Abbatis damnatur ut Hæresis, non tamen ipse Joachimus tanquam Hæreticus, eo quod doctrinam suam iudicio Ecclesiae Romanae Sedique Apostolicæ subjecerit.

452. **Q**uæritur 1. An ad committendam Pertinaciam requiratur Canonica admonitio, sicut in Jure Civili ad Contumaciam requiritur trina Citatio, vel saltem una peremptoria. Affirmat Alciatus in §. 2. C. de Sum. Trin. & alij. Fundant se in Apost. Paulo ad Titum 3. dicente: *Hæreticum hominem post primam & secundam admonitionem devota.* Verum hoc loco supponitur jam esse Hæreticum ante admonitionem. Deinde Titus, cum esset Episcopus, ex officio debebat hæreticos monere ad resipiscentiam.

453. **C**erta igitur Theologorum sententia est & in praxi observata, sufficere ad committendam Pertinaciam, ut quis sciens, ab Ecclesia Romana (quam agnoscit esse dignam quæ ut vera Ecclesia credatur) aliquid ut credendum esse propositum, nihilominus dissentiat, & hunc dissentium aliquo signo externo, quantumvis occulto, manifestet. Si enim hoc non sufficeret, quorsum esset reservatio excommunicationis ipso facto incurrendæ, etiam per hæresin externam occultam, quæ habetur in Bulla Cænæ, ita ut nec Prælati Regulares, possint à tali hæresi suos subditos absolvere, ne quidem vi privilegiorum, ut Sacra Congr. Cardinal. 17. Novemb. 1628. declaravit? Unde patet, falsum esse, quod docuit Aragonius, hoc solum procedere in foro interno, & non externo; nam praxis Inquisitorum contrarium habet. Deinde non video, quare Diana p. 1. tr. 5. resol. 1. dicat, sententiam Alciati posse admitti in hæretico rudi, vel quando hæreticus esset Curiae seculari tradendus; nam quod ad rudem attinet, monitio non requiritur nisi in eum finem, ut doceatur, opinionem ipsius esse con-

trariam Ecclesiae: quoad alterum, nullum in hoc re fundamentum exceptionis invenio.

454. **Q**uæritur, an Hæreticus formalis, qui ex culpabili ignorantia errat contra aliquam veritatem Fidei. In qua re diversimode sentiunt DD. aliqui univèrsim docent, nullam ignorantiam mortaliter culpabilem excusare: alij restringunt ad affectatam ignorantiam: quæ tamen aliqui subdividunt, in affectatam ex studio discendi, & in affectatam ex animo & affectu liberiùs sentiendi, qua libertate privaretur, licet, Ecclesiam aliter sentire.

455. **C**ommunis & vera Sententia est, omnem ignorantiam, quantumvis affectatam, excusare ab hæresi in Foro Interno (nam in foro externo præsumitur Scientia per se loquendo) modo sit ita affectus, ut si sciret contrarium verum esse, vellet se subijcere Ecclesiae. Ratio est, quia talis non est infidelis, multò minus pertinax, nec peccat directè contra Fidem, sed indirectè, nempe contra obligationem dissentii.

456. **O**bjicitur 1. Peccatum ex culpabili ignorantia commissum, est ejusdem speciei Theologicæ cum peccato commissio ex Scientia, ut alijs virtutibus communiter docent Theologi: ergo etiam in materia Fidei hoc erit: ergo peccatum ex Scientia commissum est Hæresis, ut etiam, commissum ex ignorantia. R. Negatio hanc ultimam consequentiam: nam hic loquimur de peccato Hæresis ut punibili ab Ecclesia, & dicimus, ad hanc denominationem requiri circumstantiam aggravantem, quæ proveniat à Scientia, sine qua non est pertinacia.

457. **O**bjicitur 2. Ex conclusione sequitur, in partibus hæreticorum paucissimos esse formales hæreticos, plerique enim habent ignorantiam invincibilem, vel ad summum affectatam circa motiva credibilitatis quæ stant pro veritate Ecclesiae, quæ nolunt investigare. Respondet egregie Cuius de Lugo n. 194. plures reperiri apud hæreticos, qui verè & propriè Hæretici non sunt, & ex his non paucos excusari non solum ab hæresi, sed etiam à peccato gravi contra Fidem, seu contra obligationem inquirendi, propter ignorantiam invincibilem.

CONTROVERSIA III.

Quenam Pœna sint in Hæreticos à lege constituta.

458. **D**E Jure scripto loquor: nam praxi & usus pro Regnorum diversitate diversus est, præsertim post Constitutionem Martinæ V. editam in Concilio Constantiensi, celebrata anno 1414. quæ incipit: *ad evitanda scandala.* Sed nec in Corpore Juris, nec in Bullarijs, nec in Actis Concilij existat, sed à varijs Authoribus retractatur, novissimè à P. Castro Palao de *Censuris delictorum* p. 4. n. 3. ubi permittitur Communicatio cum Hæreticis alijsque excommunicatis, nisi sint no-